



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859


§.1. Hadrianus Papa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)



HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER XLIV.



HADRIANUS PAPA.
CONSTANTINUS IMPERATOR,
DESIDERIUS REX.

§. I.

Hadrianus Papa.

Stephano Papa defuncto, Hadrianus Sæcul. VIII.
Theodori Filii Romæ nobilissima fa- A. C. 772.
milia natus ei suffectus est, qui Ge-
nitore elato adhucdum puerulus indubi- Anast. in
tata virtutis specimina dedit, nam majo- Hadr.
rem diei noctisque partem in Ecclesia
S. Marci, quæ non longe a domo dista-
bat paterna, inter psalmos & cantica in-
sume-

A a 2

sume-

Sæcul. VIII. sumebat, indutus cilicio corpus jejuniis
 A. C. 772. quoque macerabat, & eleemosynam pau-
 peribus pro viribus libens distribuebat.
 Optimus præterea totius corporis habi-
 tus juvenem commendabat Romanis;
 cumque fama ejus ad aures Pauli Papæ
 pervenisset, Clericis adscripsit, Notarium
 Regionarium & postea Subdiaconum con-
 stituit. A Stephano Papa Diaconus or-
 dinatus dotes, quibus præcellebat, ad ex-
 plicandum populo Evangelium impendit.
 Unde omnium amore sibi conciliato, cum
 Stephanus decessisset, unanimi consensu
 electus est Papa, & Sacram Sedem annos
 viginti tres obtinuit. In ipsa Electionis
 suæ die multos ex Magistratibus, ex Cle-
 ricis & Militia, quos Paulus Cubicularius,
 cognomento Afiarta, in exilium ejecerat,
 revocavit, & quos in carceribus detine-
 bat, liberavit. Ita omnibus exultanti-
 bus Consecrationem suscepit.

Ubi hanc Electionem Rex Desiderius
 comperit, missis ad Hadrianum Legatis
 amicitia suæ certum esse jussit. Respon-
 dit Papa: *Cum omnibus Christianis pacem
 habere cupio, atque etiam cum Rege Desi-
 derio, & partibus meis non deero, quin
 fœdera inter Romanos, Francos, Longo-
 bardosque sancita servantur. Sed quo-
 modo credere possum Regi vestro, de quo
 Stephanus Papa Antecessor meus mihi re-
 tulit, quod fidem datam supra Corpus S.
 Petri*

Petri sefellert, Christophorum & Ser- Sæcul. VIII.
gium malis artibus perdere voluerit, quasi A. C. 772.
Pontifici rem gratam facturum, etiam Ca-
rolomanni Regis potentiam comminatus?
hac fide Rex Desiderius promissa implet?
 Nihilominus ipsius Legatis sæpissime ju-
 rejurando affirmantibus, omnia, quæ Ste-
 phano Papæ promississet, effecturum, &
 pacem sanctissime servaturum, Hadria-
 nus Papa fidem adhibens, ad Desiderium
 Legatos misit, qui adessent promissa ad-
 implenti. Ecce vero! illis proficiscen-
 tibus nunciatur, quod Desiderius aliqui-
 bus Exarchatus Civitatibus occupatis
 Ravennam milite cinctam teneret, &
 agros late depopularetur. Igitur Raven-
 nates premente fame Leonem Archiepis-
 copum suum cum Legatis ad Papam mit-
 tunt. Is querelas ad Regem Desiderium
 deferri jubet, cui ille respondit, non prius
 se has Civitates reddidurum, quam Papa
 ad colloquendum ad se venisset. Nempe
 Rege Carolomanno quarta Decembris
 anno superiore septingentesimo septua-
 gesimo primo fati functo, Gerberga vi-
 dua ipsius cum duobus filiis ante breve
 tempus in Longobardiam advenerat, ut
 Desiderii præsidio frueretur, & Deside-
 rius eo Papam adducere sperabat, ut
 duos Principes Francorum Reges conse-
 craret, unde jurgia orirentur inter ipsos
 & Regem Carolum, quem solum Opti-
 mates

Eginh. p. 95.
Ann. Loisel.
Tl. 8.

Sæcul. VIII.
A.C. 772.

mates Francorum Regem salutaverant, rursus solemniter inunctum. At Hadrianus Papa minime his fraudibus capere se passus, ad Desiderium ire constanter recusavit

§. II.

Pauli Afiartæ exitus.

Legatorum a Papa ad Regem Desiderium princeps erat Paulus Afiarta; sed eo absente Romæ vulgatum est, quod ipse clam Sergio necem intulisset. Itaque Papa quosdam exploratæ fidei misit cum arcanis mandatis ad Leonem Archiepiscopum Ravennatem, qui eum rogarent, ut Paulum ex Longobardia redeuntem comprehenderet, & custodiæ traderet. Paruit Leo, & Paulum carceri dedit. Interim Papa Romæ accurate exquiri jubet, quo tempore, quo modo & quibus adjunctis mortuus fuisset Sergius. Tunc vero cadaver ipsius inventum est, relligato collo dependente & multis plagis perfossum. Quo facinore detecto Optimates populusque Romanus vehementer commoti Papam adeuntes petunt, ut tantum crimen puniret; ne hujus flagitii impunitas homines facinorosos ad similia perpetranda sollicitaret. Papa confcios Romanæ Civitatis Præfecto tradit, quos deinde convictos Constantinopolim in exilium mittit. Tum Acta hujus causæ